PANEGYRICUS FUNEBRIS

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

SVECORUM, GOTHORUM ET VANDALORUM REGI

CAROLO GUSTAVO,

PIO, FORTI, AUGUSTO,

Kalend: Julj, Anno cIɔ Iɔc LXI.

WITTENBERGÆ


Solenni ritu dictus,

In

Acroaterio Majore,

à

Gustavo Hempelio.





STADÆ SVECORUM.

Apud ELIÆ HOLVVEIN Regij Typographi Viduam.

Anno M DC LXI.

ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO DOMINO

DN. CHRISTOPHORO DELPHICO,

Burggrafio ac comiti in Dohna, Domino hæreditario in Korvvinden, Schlobitten, Burckhartsdorff, Stockenfels & Fischbach, Sacræ Regiæ Majestatis Succiæ Consiliario Bellico & Exercitûs pedestris Generali:

Ut &

VIRIS

MAGNIFICO, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS MAXIMEq; STRENUO,

DN. DANIELI NICOLAI,


Jcto celeberrimo, Regiæ Majestatis Svecicæ in Ducatibus Bremensi & Verdensi Cancellario & â Consiliis Secretioribus Gravissimo.

DN. STEPHANO GAMBROTIO Hirschstern/

Ejusdem Regiæ Majestatis Svecicæ Bellico & Legationis in Franciam Consiliario ab assistentia Felicissimo.

Evergetis Tutelaribus suis opt. Maximis.



Uem tot rebus magnificè geſtis, florentem Pellæum juvenem nemo præter Lyſippum Apellemq́; pingere ſuſtinebat; quid de me futurum, qui fortisſimū Heroa, tantarumq́; Virtutum æmulum, ſi non parem, adumbrare ingenii penicillo auſus: qui ne conferendus quidem cum illis ſum, imò Zeuxi quoq́; ac Protogene longo intervallo inferior? Danda tamen inprimis venia erit, ut quod ab ingenio viridi ſanè nec percocto ſatis ad ſapientiæ ſolem ſperare nemo poteſt, id pietati & obſequii gratitudini ferat acceptum, remq́; Areopagitarum more modoq́; judicet magis quam reum. Optandum quidem eſſet, ut par Tanto Principi Orator contigiſſet, ſtylusq́; hoc argu-

mento nobili dignus. Qui tyrocinii adhuc fervore cùm exultet, nec ſibi conſtet ſatis, pompamq́; ac ſplendorem aulicum procul habeat, eò erectior tamen in hanc ſpem ſubnixus, ut, quod ab ingenio ſperare nequibant, VESTR. EXCELL. præfixis nominibus ferant acceptum : Has igitur ingenii primitias VESTR. EXEELL. patrocinio conſecro, quâ decet animi ſubmisſione ac devotione. Deus interim VOS in multos annos incolumes ſervet, mactetq́; votis ad invidiamusq́; felicibus.

VESTRARUM,

DOMINI,

EXCELLENTISSIMARUM VIRTUTUM

Eminentisſimiq́; Nominis

Devotisſimus cultor


Guſtavus Hempelius.



Rector ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS, CASPAR ZIEGLERUS,

Phil. & J. U. Doctor, Codic. Prof. Publicus, Curiæ Elect. Scabinatûs & Facult. Juridicæ Assessor,

CIVIBUS ACADEMICIS S. D.



VI arcano quodam moderamine, rerum humanarum versat arbitria ac coërcet, DEVS admirabilis, ultra seculi decursum, Serenissimos Sueciæ Reges, pietatis Zelo, sapientiâ, Heroicis virtutibus, felicitate magnâ, belligerandi arte, consiliariisq; exquisitissimæ raritatis, instruxit adeò accumulavit; Ut justam, plurimis Europæi orbis Principibus, de fatorum æqualitate, controversiam fecisse adappareant,. Vnde etiam altissimâ meditatione rem tantam decenter æstimandi, plus omninò insinuare illa quidem explorari nescia Numinis providentia videtur, quàm vel plebejæ capiunt animæ, vel affectuum præoccupati impetu censores, secum reputare possunt. Quotusquisq; enim eminentior ceteris Rerumpublicarum status factus unquàm est, quem egregiis Heroum pariter ac Consiliariorum admirandorum prælusionibus, non armatum antea & initiatum vidimus? Assyrios certè, Medos, Persas, Græcos, Romanos, & à nullo, nisi seipsis domitos Germanos, ubi sollicitâ annalium replicatione intervisimus; quantis, illi quæsò, Principibus, viris, viribus, consiliis, successibus, antequàm ad suprema niterentur, res agitârunt suas? Hoc discrimine solummodò intercedente, ut imperiorum lentiori alia, alia maturiori, obscuriori item aut illustriori ausu, tantum, præ reliquis elevarint caput,

Quantum lenta solent inter viburna, cupressi.

Deus, Deus est, qui & Reges ordinat, & Heroas fingit, & bellatores spiritus impertit: ad Ecclesiæ stabiliendas sedes, deponendos, de sede, superbos, ac temperandum,

randum, severiori disciplinâ, orbem. Hic, quicquid decrevit factum, singulari mediorum subinnuere concessu solet. Falsus profectò haud fuerit, qui tam proprium nobilissimæ Suecorum genti vincere ac triumphare dixerit, quàm proprium soli lucere est, ac inter media nubium velamenta, radios vibrare fortissimè stringentes & ejaculari. Attamen ne rhetoricari magis, quàm pondera loqui videamur, fidem conciliare dictis etiam oportet. GUSTAVUS, cognomento I. seculo quintodecimo aliquantum adolescente, acerrimis, quibus cum conflictabatur, malis obrutus, licet ad necem etiam, exemplo ERICI, Genitoris, quæreretur; suâ tamen & virtute & industriâ, per Dei gratiam, eluctatus incolumis est, & superior adversariis factus, ita rem feliciter administravit omnem, ut inter vota plaususq; gestientium, solenni jubilo Suecorum Rex renuntiatus, patriam crudelissimè afflictam, intra biennium, libertati restituerit, glistentes civilium discordiarum fomites extinxerit, leges saluberrimas sanxerit, sacros religionis cultus instaurárit, Russos ferociùs tùm insolescentes fregerit, hereditariam Regum successionem primus stabiliverit. At licet in ERICO XIV. & JOHANNE nutare pleraq; viderentur; excitus tamen singulari Numinis favore, CAROLUS, atq; his omnibus (Patre CAROLO quoq;) major, magnus GUSTAVUS ADOLPHUS fuit. De hoc, quicquid magnifici vel dixerimus, vel gloriosi meditabimur unquàm, minus erit. Ita & seipsum supergressus, & Heroum facilè omnium vel adæquavit, vel superavit brevi, excellentissima facinora: ut laudanti illum, idem fortè occini possit, quod quidam, Herculi Panegyricum dicturus, audire cogebatur: ECQVIS VERO VNQUAM HERCVLEM VITVPERAVIT? Majolinus *certè* Bisaccionius, *ex Italia Comes, partium suarum quidem scriptor, atq; ideò sublestæ quodammodò fidei, in Historiâ tamen armorum GVSTAVI ADOLPHI, in Germaniâ gestorum, professus liberaliter est: superiorem, sui temporis, virtute neminem recognovisse GVSTAVUM. Eandem, in hoste etiam, virtutem, ceu fas est, laudat alius Italiæ Comitum,* Galeatius Gualdus, *Fridlandiæ Ducis, longo usu familiaris, in Historiâ bellorum Ferdin. II. & III. IMPP. Philipp. IV. Hispan. contra Gustav. Adolph. Sveciæ, & Ludov. XIII. Franciæ Regg. dum biennij vix elapso spacio, ducentarum ac nonaginta sex, Germaniæ urbium, arciumq; munitissimarum, felicissimo successu, occupationem ipsi tribuit. Duxq; ROHANÆVS, vel, quisquis autor est* Trutinæ Statuum Europæ, *non nisi per densissima nubium, virtutem magni ADOLPHI mundo ostensam fuisse, quinto discursuum suorum, â calce testabatur. Nunc quid de CAROLO GVSTAVO, gloriosissimæ memoriæ PRINCIPE, Gothorum,*

Vanda-

Vandalorum, Svecorumq; REGE Serenissimo, dicemus? Qui, cùm in vivis esset, fortissimus, hostibus HECTOR : suis, amabilissimus AGAMEMNON : OPTIMVS, optimis quibusq; TRAJANVS : inter belli fulmina, TREMENDVS SCIPIO : in omni molimine, CIRCVMSPECTISSIMVS HANNIBAL, breviter : Divi GVSTAVI ADOLPHI, ex sorore & nepos, & virtutum egregiè, si fortunis superfuisset suis, æmulus extiterat. Cujus non triumphos modò ac tropæa, sed & alios, primùm (ut mos bellorum fert) ancipites quidem, pòst tamen auspicatos, rerum in vitâ gestarum, decantaremus oppidò & enuntiaremus actûs; nisi hoc nos labore sublevasset Ornatissimus ac egregiæ Spei Juvenis, *GVSTAVUS HEMPELIVS, Stadensis : Qui conscripta eleganti, tersâ, nec sine numero castæ latinitatis Oratione, OPTIMI MAXIMI PRINCIPIS prosecuturus laudes est. Meretur omnem per se favorem, luculenta GVSTAVI nostri indoles; si tamen clientis, ex debito pietatem, erga Serenissimum REGEM suum ac Dominum metiamur, non possumus non commendare laudabilissimum conatum. Temporum interea annales vestigaturi, deprehendemus non sine notâ dimittendum, quod perendina nobis lux refricabit omen : dum VII. nimirum Kalendas Quintilis, Anno supra sesquimillesimum, tricesimo, primos in Pomeraniâ, Germaniæ fines, attigit Invictissimus Religionis nostræ assertor GVSTAVUS ADOLPHVS : solemniq;, flexis poplitibus, recitatâ precum formulâ, pro successuum benignitate, vota calidissima Numini allegavit, quo ipso quoq; die, centum annis ante hac, Confessionis Augustanæ articuli, Divo CAROLO V. Imp. Augustæ Vindelicorum exhibebantur. Non præter rem igitur ordinemve fecit devotissimus Encomiastes, ut memoriæ exstimulatus sanctitate, illum quoq; diem, qui quasi religiosus nomini Suecico videri poterat, post impetratam à nobis veniã, obsequioso coleret officio. Vestrum, CIVES ACADEMICI, est, favere optimi commilitonis instituto, & ad perendini prædictum manè, hora IX. in acroaterio majore, liberalem benivolamq; auscultandi copiam dicenti commodare. Hàc enim ratione & concivem devincietis magis, & quod dignum vobis est, exequemini munus, & debitam, post fata quoq;, pietatem, Principi gloriosissimo probabitis. P. P. DOMINICA II. post TRINITATIS, anno recuperatæ gratiæ* clↄ Iↄc LXI.



RECTOR

RECTOR MAGNIFICE,

PRÆILLUSTRIS AC GENEROSISSIME L. BARO.

VIRI

Maximè Reverendi, Nobilisſimi, Amplisſimi, Conſultisſimi, Experientisſimi, Excellentisſimi, Clarisſimi, Prudentisſimi; Tuq; Studioſorum Florentiſſima Corona, Spes optima Patriæ.

SI Principum Heroumq; natales, &, quibus lucē viderunt, primordia, ſancta ac venerabili Solennitate condecoramus, atq; anniverſaria quâdam lætitia inauguramus veluti, ſic, ut & tormentorum tonitrua immanisq; fragor & plurimus fumo permiſtus ignis, inter illa feſta gaudio accendant animos & efferant quodammodò, ſui propemodùm neſcios pietatis ac reverentiæ, quæ debetur magiſtratui, intereſſe cum maximè videtur, Illuſtres obitus etiam, illudq; tempus, quod Natali Cœlo redonavit ingentes animas, feſtis honoribus mactare inprimis; quò acceptam divinitus cladem, lugeamus vehementiùs, ac delineamus calidis votis iratum Numen, ut ſanet inflictum vulnus medenti dextrâ, aliumq; Tibicinem ſubſtituat, qui collapſas regni ſpes ſuſtineat feliciter & in ſolido ſervet. Principum verò elogia & excellentes, quas Poſteris relinquunt, laudes, ſicut præluſtribus animis in exemplum perennant, quod ſuſpiciant ipſi ac ſectentur, & ad ſeros Nepotes longeq; ventura ſecula commendent aliis: Ita inviſus ille ac ingratus erit, qui vel minimam celebrandi Principis occaſionem, præterlabi negligenter ſinat, totq; beneficiorum nomina, incurioſo ſilentio involvat, quæ tacere læſi quoq; Numinis offenſa ac piaculum foret. Non temerè tamen ac incogitanter cuilibet accuratior laudatio ſuſcipienda erit: quæ ut non niſi ad Sapientisſimos pertinet: Ita ſingularem Spiritum ac eloquentiæ quaſi quendam cothurnum requirit. Prudentiores

dentiores enim nec assentandi pruritu vexantur, & cum ratione semper ac judicio solitaq; reverentiâ id muneris norunt usurpare. Nihil verò sanctius, ut ille ajt, reverentia superstitum habere videtur, quàm ut amissorum venerabiliter recordetur. Quod dum molior quadatenus, de augustissimo Suecorum Gothorum Vandalorumq; Rege, CAROLO GUSTAVO dicturus, Divos Manes magni PRINCIPIS obtestor, ut munere innocentium studiorum ceu mica salis thurisq; quâdam velut acerrâ litari sibi patiantur. Non est in me juvene quidem, ac admodum tyrone vel Sapientiæ cujusdam præsumptio, vel ætatis ille etiam modus, ut senile quid ac efficax aut in EUM, de quo verba institui facere, aut ad vos etiam, AUDITORES LECTISSIMI, coram quibus dicendum, â me expectari possit. Ne tamen planè silerem mei paullò securior, officii fecit sollicitudo ac religio, quâ Regi Maximo Indulgentissimoq;, subditus devotissimus obstringor. Neq; verò dum in eo sum, superba exstruam mausolea aut cœlo contractum minantia theatra, titulisq; fulgentes arcus, statuas atq; colossos, aut insculptas marmoribus auroq; imagines ponam: quibus cum interitus veniat tandem, utpote non validis satis contra vetustatis morsus, literarum advocanda memoria erit, quæ ut æterna est, ita nec tractu temporum nec ævi incuria intercidit. Illud modò (antequàm ulterius provehar) â Vobis, Auditores omnium Ordinum honoratissimi, summoperè contendo, ut non tàm orationis aliquam formam ac habitum, quàm unam pietatem meam respiciatis. Cui si satis fecero in præsens, nec auscultandi benignitatem mihi, quam deprecor supplex, nec favorem Vestrum defuturum confido.

Quorum operæ excedunt vulgaris Virtutis terminos, Juvenes præludunt rebus post gestis, talesq; se exhibent omnibus, quales admiratur orbis deinceps ac stupet. Virtus enim sicut neminem excludit, sed se insinuat ultrò admittentibus: ita excellæ mentis hominibus adhæret inprimis, illosq; arctissimo quodam contubernio beat, ac supra aliorum extollit sortem. Nec illud verò totum tàm innata per Parentes, ac insitâ indoles, quam accuratior institutio conferre solet. Quam utramq; cùm Illustrissimus Princeps nactus singulari Numinis favore esset, quomodo non egregiam de illo spem concipere omnes ac conjicere de facili in primo illo ac tenerrimo

ætatis

ætatis flore potuissent, Eum talem futurum, qualem cognitum judicarant. Quemadmodum enim agricolæ aut qui plantaria atq; arbusta exercent, ex ipsis arborum floribus, de futura uberrima fructuum messe ducere conjecturam solent; ita prudentissimus quisq; ex Puero Virum auguratur.

Genus NOSTRO antiquissimum ac Illustre inprimis contigit, cujus diffusum longelateq; splendorem abnuit Orationis infantia attentare. Utinam verò ire per tot Palatinorum Rheni decora felicitatisq; inusitatæ possem cognomina, quæ vel promeruerunt gestæ ad æternitatem res, vel fortunæ munificentia tribuit. Majores enim Ipsius vel dederunt Reges, Imperatoresq; orbi, vel sacro affinitatis matrimoniiq; nexu attingebant Imperii Proceres. Illud maximè omnium memoratu dignissimum, nullam humano generi familiam superesse, quæ sui generis authorem & Principem, per tot pulcherrimas inclitæ domus series Carolum Magnum, illum augustissimum Imperatorem, tam notanter agnoscat ac veneretur, quàm Principes ac Palatinos Rheni, qui & Majestate Imperatores, dominio Reges, Virtute ac splendore Principes fuerunt, & verè, ut cum Poëtarum principe loquar, PASTORES POPULORUM. Patrem nact⁹ est JOHANNEM CASIMIRUM, DUCEM BIPONTINUM: Matrem, Divi GUSTAVI MAGNI, Sororem, Caroli IX. Gothorum Vandalorum Suecorumq; Regis filiam. Singulari autem ac planè divino fato, dispensante ita mortalium res Numinis providentiâ, factum esse arbitramur, ut nasceretur in Suecia NOSTER, hoc ipso augurio ac omine, ut exoriretur primum Divus ille fulgor Summi Principis in eo Regno, quod undiquaq; illustraturus radiis Majestatis suæ erat. Non spectandum equidem est, quo natus quisq; stemmate sit, sed ut moratus plurimum; nec, cui regioni debeat vitam, sed quâ ratione instituat illam ac degat. Prodierunt augustæ virtutes è gurgustiolis ac inter rastra haud semel emicuit fulgentissimum virtutis jubar, involutusq; crassis pannis infans, qui vel peristromata Campania fastidivit postmodùm, multasq; adeò gentes infra suã Majestatẽ vidit. Juvat tamen nõnihil ad melioré frugẽ natalis terra, & ad indolẽ temperandam haud parũ interest, ubi, & unde quis fuerit natus. Et itaq; inter felicitatis titulos recensendũ existimo, quod in Suecia Princeps lucẽ hauserit primordialem,

Anno supra millesimum, sexcentesimo vigesimo secundo. Non intra saxa & rupes, asperrimoq; illo Ulysśis nido, sed in amœnissima regionum & temperatissima, si vel qualitatem Soli Cœliq; consideres, seu operum magnificentiam respicias affabreq; constructam arcem Nycopiam, illam Sudermanniæ pharon, â quâ denominati ipsi Reges, & quæ inter fastigia titulorum recensita jam olim. Natura hîc congestis undiq; illecebris, per geniale solum sese insinuat passim ac luculenter prodit: Firmissimum arci circumdedit robur, lambit eam fluvius & circumambit veluti, delicatissimis piscibus completus affatim. Nolo nunc Mathematicorum cœlum consulere, quamq; propitia fata NOSTRO fuerint in primo illo vitæ limine rimari. Tale enim sidus concomitatæ sunt innumeræ stellarum myriades, providentiæq; divinæ admirandum eluxit exemplũ. Quod Ipse propinquitate attingeret GUSTAVUM MAGNUM, Cujus heroica facinora ingrati sunt ac impii qui non condignè æstimant, fervoremq; illum puræ ac incorruptæ religionis, per quem tanquam aliquod Numen inter Mortales omnium oculos oraq; in se convertebat. Hunc cùm per omnia virtutum exempla strenuè grassatum intueretur NOSTER, æmulaturus, imò si liceret, superaturus tantam gloriam, totum sese ad Hujus veluti vestigia composuit, insitumq; illum vigorem & alacritatem animi elicuit honestissimâ imitatione ac promovit. Accedebat insuper accurata educatio, quæ formabat egregiam indolem, ne degeneraret & deflecteret â Virtutis tramite, si illum quidem degenerare posse existimamus, qui Virtutem sibi æterno ac indissolubili contubernio adjunxerat. Et sanè doctrinæ præcepta quando maturè insiguntur Principum animis ac implantantur veluti intimis pectorum fibris ac penetralibus frugifero literarum semine, tunc Legum vim, secundum quam Optimus quisq; Principum incedit, videntur sustinere. Præcipitanda tamen inprimis mora est, dum adhuc instar sequacis ceræ generosiores animi ad unguem finguntur. Tum enim Virtus judicium confirmat, delectumq; quendam ostentat, ex deniq; magnitudinem animi mansuetudine ac Justitia temperare ac condire veluti solet. Quemadmodum regula normaq; rei ipsa recta sit, oportet, ut admotas res æquet ad amussim & justè afficiat ac mensu-

ret

ret æqualiter : ſic Princeps poſtquam formatus indutùsq; omni virtutis habitu ac compoſitus veluti eſt, tunc demum imperet & exhibeat ſe ſubditis, qui ad ipſius exemplum vitæ curſum inſtituant. Nemo ignorans docere alium poteſt : & quis credat illum imperare poſſe, qui non ipſe paruerit aliorum imperio antè. Princeps enim ſicut Numinis ſimulacrum eſt, ſic per Virtutem ad archetypum accedit propius, ſeq; ſibi normam rectisſimam fabricat : Ut qui dare leges cæteris velit, ipſe ſibi pulcherrima omnium ac ſanctisſima jura ſtatuat. Obſervavit hoc elegantisſimus Nepos in Dione, cui cum ſummo aliàs Viro, unicus ſupereſſet filius, eum Dionyſius Tyrannus infenſus Patri, inter ſcorta & turpisſimas quasq; voluptates educavit, quo extingueret innatam Virtutis indolem & elideret virile robur, dum obruebatur epulis. Puero namq; nullum relinquebatur tempus ſobrio. Hunc reverſus Syracuſas Pater, cùm à priſtino vitæ inſtituto arctè habitum attentè revocare niteretur, adeò ille commutatum vitæ ſtatum ferre non potuit, ut ſe præcipitem è ſuperiori parte ædium dederit deſperabundus. Quod ideò adduxiſſe operæ pretium fuit, PATRES CONSCRIPTI, ut pateat eò clariùs, quantum liberalis inſtitutio conferat, quamq; præſtans & omnibus quidem numeris abſolutus is futurus demum Princeps ſit, qui Virtutis naturam imbiberit maturè. Quare NOSTER ſic eductus, non minùs quàm laudatisſimus Principum Cyrus, naſturtium cum pane pro exquiſitisſimis epulis, aquam pro generoſisſimo vino uſurpabat, nunquàm ſe jucundiùs vixiſſe affirmans, quàm cùm minuta hæc pocula rorantia, non illa capacisſima Heraclia vaſa ebibiſſet. Quo factum, ut non corpus tantùm ad omne militiæ gravioris robur firmaretur egregiè, in quævis pericula alacre ac agile, ſeu cominus hoſtis ſeu eminus impugnandus foret : ſed & animus ſibi conſtans & perpetuâ ſobrietatis lege, eleganter & magnificè, non profuſè ac incontinenter, ad extremum usq; vitæ ſpiritum ageret armatus. Erat Divus PRINCEPS ſtaturâ mediocri, corpore ſolido ac ſucci pleno, & ad impetum præprimis valido, nec agilitas membrorum conformisq; habitus deerant. Quorum alterum natura dederat Heroi : alterum ipſe crebrâ ac perpete exercitatione comparaverat. In cunctis enim bellicis exercitiis â primis incunabulis inſtitutus cùm eſſet, in id in-

cumbebat ſedulò, ut fortitudine omnibus par, nulli deprehenderetur ſecundus; & Virile robur inprimis acquireret, quo omnes ſuæ ætatis ſuperavit propemodum. Vultus ad gratiam compoſitus, erat longior magis quàm rotundior, ſupercilii majeſtas ſingularis, oculorumq; incorruptus vigor & acerrimus obtutus. Generoſa mens, ac diſciplinarum inprimis capax. Omnia verba, tanquàm è penetralibus pectoris ac ſcrinio quodam interiore deprompta proferebat NOSTER, quæ plus in receſſu haberent, quàm promitterent in fronte. Viderunt Eum, viderunt Sui in tot gravisſimis expeditionibus, interq; tot ancipitia bellorum non lixis ac calonibus referta habuiſſe caſtra; ſed fortisſimis paratisſimisq; militibus undiquaq; egregia temperantiæ ſpecimina dediſſe. In eo enim periclitata videtur vires ſuas Virtus, ut talem exhiberet orbi, in quo pasſim exſplendeſcerent heroica facinora, qualemq; Sarmata, Ruſſus, Balthiciq; Maris accolæ venerarentur, fortunamq; ipſius adorarent. Non contenta enim produxiſſe è generoſo ſtemmate, ad regale inſuper faſtigium deſtinârat celsisſimam indolem, ad quod tamen enitendum EI à primis usq; initiis fuit, perq; omnes militiæ ordines. Nec dedit ſtatim, quem ſeptentrio coleret Regem, ſed tùm fecit demum, poſtquàm Heroicæ frugis ſpes per tot triumphos perq; tot patrata inviĉtâ manu prælia, ad quandam quaſi maturitatem adolevisſet & aſcendiſſet ad eum gradum, in quo eminere EUM cœli favor, & conſecrata mortalibus voluit Virtus. Cornelius Sylla cum Marij hoſtis Juventam irrideret, quid, inquit, remigem prius eſſe oportet, quàm nauclerũ. Magnus Ille GUSTAVUS, PRINCIPI NOSTRO genuino tantarum Virtutum totq; rerum geſtarum Hæredi, inſtillabat ſubinde & inſuſurrabat in aurem tacitè Aſcanio huic Suo, illud prudentisſimi Poëtæ: *Diſce puer Virtutem ex me, verumq; laborem:* Immenſũ enim calcar ac generoſisſimæ indolis incentivum eſt, Majorum res geſtas introſpicere, ſuamq; ætatem componere ad illorũ exempla. Nam & maximam vim, maximumq; robur Paternus Maternusq; ſanguis, vel ad ignominiam, vel ad Virtutem habet, adeò, ut ſi concepta macula ſit, eòusq; promanet ad animum, ut ſumma ſæpe amentia ſequatur. Magnus Scipio ſe quaſi quibusdam admotis facibus accendi, & ad editum Virtutis templum rapi affirmabat, ſi Majorum intueretur imagines; quæq; charitatis ac necesſitudinis

tudinis vincula, ea ſæpiùs quoq; Virtutū incitamenta nobis exiſtūt. Inde moribus Romanorum receptum laudabilisſimè novimus, ut egregia ſuperiorum opera Majores natu, tibiis pangerent in conviviis, modulatis incluſa carminibus, quò ad ea imitanda alacriorem redderent juventutem. Inde, inde oriebantur Camilli, Scipiones, Fabricij, Marcelli, Marij, Pompeji, & clarisſima Cæſarum lumina. Virtus enim ſi ſubjici humano viſui oculisq; uſurpari poſſet, quàm mirificos, Deum immortalem! ſui amores concitatura eſſet illius diffuſa latè pulchritudo! Quòd cùm fieri non posſit, abſoluta & expreſſa Virtutis imago, ad imitationem proponenda erat, ejusq; ſimulacrum concipiendum veluti

Vt quæ natura negavit
Viſibus humanis, oculis ea pectora curent.

Illud ſuperiori ævo in Divo ADOLPHO nactus NOSTER cùm eſſet, quid non molitus, ut inſiſteret tanti Principis veſtigiis, ſeq; vel ſupra hujus ſortem arbitrâ poſteritate extolleret? Audivimus hactenus ea, Auditores, in quibus primus ille ætatis flos occupatus tanti Principis fuit: quæ omnia cùm non pueritiam ſapiant, ſed ubiq; cordatam exhibeant Virilitatem, verè conveniſſe Huic NOSTRO arbitror illud vetus: Magnorum fluminum & fontes navigabiles, Generoſiorisq; arboris plantam ſtatim cum fructu eſſe. Non enim tam anguſtis anniverſariarum legum ſpatiis circum ſcripta auguſta indoles eſt, ſed continuò ſe prodit cum fructu, bullamq; ac prætextam ponit ſumptâ Virili togâ. Quod ſi ſeries Virtutum texenda mihi quæ Celſisſimum Principem commendabant, non decorum violabo, aut aſſentationis crimine me inſimulabit quiſpiam, ſi tanta gloriæ momenta, ordine quaſi ac gradatim poſuero ante oculos Vobis, cùm ea, quæ dicenda ſunt, non vera tantùm, ſed & perſpecta fermè cuivis mortalium habeantur. Non autem operoſa teſtibus advocanda fides erit. Virtus enim ut neminem ſuâ laude defraudat, ita bonus quisq; aliarum Virtutum laudes non audit tantùm libenter, ſed & (quæ ejus bonitas ac modeſtia eſt) addit de ſuo, ut ſuppleat numerum, conſummatumq; ipſemet reddat. Longum foret inquirere in ſingula, ſeorſimq; ſcribere, quantum laudis retulerit NOSTER: tanta quippe Virtus ſolennes formulas & proletarium Oratorem, verbaq; de trivio reſpuit, nec

locis

locis communibus includitur ac coarctatur. Ea propter modestisſimè ac reverenter prima tantùm capita perſequar, & ſummitates veluti, ac coronas tantorum meritorum decerpam. Rarum in tanto faſtigio prudentiæ ac literarum condimentum conſpicitur. Non poteſt tamen non ſequi ſucceſſu bono meditatos antea conatus fortuna, quodq; ſapientia proviſum eſt prius. Et verò felicisſimè hâc quoq; in parte æmulatus NOSTER Anteceſſorem eſt GUSTAVUM, qui tres linguas, exceptâ Vernaculâ, Gallicam nimirum Italicam & Latinam exactisſimè tenebat, FILIA Inſuper undecim gnarâ linguarum relicta, ſine exemplo. Audivimus enim ILLUM inter armorum ſtrepitus lituosq; quaſi quædam oracula fundere, tamq; expeditè ad Veteris Latiniſmi elegantiam loqui, ut in medio Latio natum Eum exiſtimares. Orientis populi poſtquàm ſapientiam unicè coluerunt, longè lateq; victricia protulerunt ſigna, ac dominati ſunt. Occidentaliores exuta barbarie cùm tractarent mitiores literas, & literarum & militiæ gloriam ſummamq; rerum ad ſeſe traxerunt. Quod Athenienſibus quoq; à Romanis uſu veniſſe annales teſtantur. Si Plato audiviſſet Hunc NOSTRUM atq; vidiſſet, tanto ardore incumbentem ſtudiis: nonne fortunatisſimos prædicaſſet eos populos, qui ſub HUJUS umbra tuti deliteſcerent, omniumq; commoditatum incrementa lucrarentur. Hiſtoriarum quoq; ſtudioſisſimus erat, illaq; ad unguem tenebat IPSE, quæ Majores EJUS præclarè fortiterq; adminiſtrarunt. Cautus imprimis in amicis eligendis, qui nec aſſentatoribus præbebat aures, & fidos ab illis facilè dignoſcebat. Nulli enim magis fideles ac juratos quaſi amicos requirunt atq; deſiderant, quàm qui ad Clavum Reipublicæ ſedent. Quandoquidem, qui tot millibus proſpicit, non ſuis ſemper, ſed & alienis oculis videat oportet, hoc eſt, habeat amicos ſinceros fidelesq; conſilii ſecretioris participes, operarumq; ſocios. NOSTRO PRINCIPI, DIVO CAROLO GUSTAVO, pro accuratisſimo ac limatisſimo judicio nemo perſonatus obrepebat facilè, ſed vitrum ILLE â gemmis, & factitias â nativis ſecernebat: Ita tamen ut ſe ubiq; prudentisſimum præſtaret, ne dum nimis eſſet credulus, vel nulli planè arbitraretur fidem, ſubverteret omnem amicitiam & exſcinderet penitùs. Scripſit doctorum non nemo librum de eo, quâ ratione
tione

tione distinguendus ab amico adulator, refertq; ibidem Carneadis scomma, dicentis, Principum filios nil discere rectiùs quam equitare strenuè, ac in gyrum variare equum & ad omnem disciplinæ modum exercere. Omnia enim, inquit ille, quæ dicunt faciuntque Principes pro oraculis divinitusq; vel dictis vel factis laudum buccinâ & ambitioso verborum schemate extolluntur, & ita præmaturis Honoribus juvenum animi ad superbiam tendunt, ut autè se Imperatores esse sciant, quàm discant imperare ipsi.

NOSTER sicut bellandi peritiam inprimis habebat, ita nec animi, nec corporis exercitationem negligebat, multus in venatione, aucupio, equitatione ac quorumlibet armorum meditatione diversâ. Celeriter, quæ opus erant reperiebat, neq; minùs in rebus excogitandis promptus quàm gerendis, erat. Quo factum ut nulla re illustratus fuerit magis & inclaruerit, quàm laude bellicâ, quò propriè illud velocitatis accuratissimæ genus spectat. Quàm strenuè enim quamq; fortiter incubuerit bellorum disciplinæ, tot EJUS victoriæ ac triumphi de validissimis ac acerrimis hostibus reportati, luculenter testantur. Militem ad omnem belli fortunam promptum ac exercitatum habebat, sive castra munienda, sive cursu, saltu atq; natatu invadendus hostis, & quæ bellicunque munera cætera subeunda essent. Memorabile ego, & ad seros nepotes longeq; ventura secula propagandum interpretor, INVICTISSIMUM REGEM, cum Polonicas copias debellaret, sex vicibus in conflictu mutasse equum, cùm semper ictu sclopeti vel occubuisset caballus, vel sudore madens relictus â REGE esset. Nonne hîc potenti dextrâ Deus exercituum, qui Regum moderatur corda, nutuq; suo temperat omnia, REGEM CAROLUM GUSTAVUM illæsum invictumq; præstitit? Pietatem in bello semper observavit NOSTER, tanquam hæreditariam & per manus velut traditam possessionem. Quis enim quæso magis post hominum memoriam, religionem vel acriùs defendit vel propagavit studiosius? Quæ accuratior altera ac devotior gens in veneratione Numinis & Cultu eorum, quæ ad Cœlestia spectant. Ut belli fulmina Scipiones, fatali quodam nexu destinati, ad Carthaginis eversionem suffecerunt semper: sic Sueciæ Rex ad Lappas tribulosq; eradicandos, pontificiosq; errores arcendos â suis, divinitùs concessus terris ac donatus videtur. His

gradibus GUSTAVUS ADOLPHUS inclitæ memoriæ PRINCEPS, pietati addictus devotusq; Numini perpetuò, in Cœlum ascendit, vacuamq; crimine animam, pro Religione & pro aris ac focis amicorum posuit atq; effudit. Hanc quoq; laudem propriam quasi ac peculiarem NOSTER nactus est, ut religionem pensi haberet inprimis, & regnum Se à Deo habere suaq; omnia ei accepta ferenda esse, gratus meminisset. Nunquàm enim congressus cum hoste est, nunquàm è castris eduxit militem, nisi Victoriarũ omnium arbitro ac datori supplex factus cum toto exercitu, illum sibi benevolum, calidis precibus deliniendo devinxisset; ratus cultum Deorum castissimum sanctissimumq; esse debere, nihilq; procedere ex sententia, nisi cum Mose, Iosua, Davide, Iuda Maccabeo, piis religiosisq; Principibus solicitaveris antea Numen & veneratus ipsius clementiam fueris. Addit certè Militibus animos, pura religio, precumq; indefessus ardor, ipsisq; Principibus veneratio ac amor conciliatur. Nam tùm demum alacriter fortiterq; dimicant, cùm Numen sibi amicum atq; propitium habent, infallibiliterq; arbitrantur ac sciunt, se in suâ statione, tàm piè decedere, quàm sacerdotem in suggestu, ac intra ipsas ceremonias sacras ac functiones. Quæ res horridam adhuc & distractam Romanorum multitudinem vel regebat efficaciùs, vel componebat animos eorum ac mores magis, quàm sapientis Numæ simulata religio, aut ut veriùs dicam superstitio? quo non trahebat mobiles & ad justa perculsas semel mentes? Gens quædam incola aut contermina Sueciæ, (Lappos nominant) superstitionibus futilibusq; vanæ religionis præstigiis diabolicisq; incantamentis dedita nimium erat. Et deploranda quidem in illis non tàm humana imbecilitas vanaq; persuasio, quàm neglectus rerum divinarum ac contemptus. Dum enim luduntur à dæmone, rudes earum rerum, nubem pro pietate, larvam ac umbram pro recto Numinis cultu amplexi erant. Hos PRINCEPS mitioribus sacris assuetos Catecheticâq; institutione imbutos & certos suæ fidei ac religionis, Cerbero illi ac infensissimo humani generis hosti diabolo eripuit, & faciles sibi obnoxiosq; & ad omne periculum paratos religione ac precibus reddidit. Semper igitur & ubiq; præmium inculpatæ pietatis à Deo tulit. cœptisq; ejus, cœli favor aspiravit identidem. Numinis ope, ea administravit

vit sæpius, effectaq; dedit felicissimè, quæ stupenda propemodùm & supra omnem fidem sunt. Obruor exemplis, quæ se longo agmine ad manum dant, gestiuntq; celebrari. Ea si referre singula instituerem accuratâ Oratione, non unius diei aqua petenda foret, & totam hominis potiùs ætatem defatigari illis posse non ex vano augurareris. Unum tantùm oratione nudâ explicabo: Cum CAROLUS GUSTAVUS, Polonico implicitus bello, in Codanum tamen sinum traduceret copias, quantum ac quàm singulare illud fuit, quòd ipsum Cœlum Baltici maris illum immensum tractum, glacie frigoreq; insolito & inaudito ita densavit, ut instar firmissimi ac solidissimi pontis totum SUecicum exercitum transmitteret in Füniã, ubi perculsi famâ adituq; fortissimi oppugnantium vel cæsi sunt, vel dispersi palantes undiq; & capti, ita ut hoc ipso die totius ejus maris accolæ in utroq; littore, talem victoriam, non admirarentur tantùm, sed & stuperent planè. Non possum non in præsenti in animum ea revocare tempora, quibus NOSTER imperii gubernacula capiebat primùm, dùm repeto mecum quâ ratione ingressus mare, horribili statim tempestate, impulsu Aquilonis ac æquinoctii sidere involutus fuerit. Quid enim hoc ipso designatum fuisse existimabimus? REX NOSTER in ipsis carceribus imperii cursu haud sanè tranquillo delatus in intricatissimorum negotiorum mare, & horrorem ac inclementiam fati expertus omninò est. Ita tamen SE gessit, pietate suâ fretus rectiq; conscientiâ subnixus, ut non solummodò emerserit ex bellorum periculis & indomito Martis furore, verùm gloriam quoq; & immortalem famam rebus ex sententia confectis, semper & ubiq; reportârit. Deum immortalem, qui metus imminentium bellorum, quæ confusio, qui apparatus, quæ instructiones, quàm ancipitia, contra PRINCIPEM NOSTRUM, consilia ac machinamenta fabricata passim sunt! de quibus nec me modestia dicere permittit, nec convenit omninò, sopitis jam turbis, & compositis, Dei benignitate, belligerantium animis in universum. Nunquàm non verò Deus tenuit clavum, NOSTRIq; fortunam temperavit clemens, & robur animo ac miram felicitatem perpetuâ & constanti serie cœptis illius aspiravit. Infractum C A R O L I G U S T A V I robur & impavidus

animus inde elucet maximè, quod nec attolleretur à læta ac ridenti fortuna, ac moveretur de sede mens, nec deprimeretur etiam ; sed ubiq; recta ac æquabilis persisteret. Non aliter ac adamas, vim illam ac firmitatem habet, ut infringi aut conteri difficulter possit : Sic ILLE ita ferebat casus atq; calamitates, ut SE supra humanam sortem exsereret, illudq; Poëta cogitaret subinde :

Lege Deum, minimas rerum discordia turbat,
PACEM summa tenent.

Studium enim in IPSO ac animus non turbandi, sed turbata componendi erat, bellaq; justitiâ & æquitate metiebatur : quo factum ut undiq; non illæsus tantùm suoq; pondere tutus persisteret, sed & conclamatas suorum res, suo labore sudoreq; restitueret feliciter & in solido locaret. Omnibus enim expeditionibus IPSE interfuit, neq; extremum illum splendorem otiumq; ac tranquilitatem & trabeas ac fasces & quicquid circumfundit specietenus Imperatores, sed Populi bonum communemq; utilitatem respiciebat, officium existimans imperare, non regnum. Totius enim tantorum bellorum cura recumbebat in HUNC solùm, accipiebat IPSE innumerabiles undiq; nuncios, qui vel afflictas Suorum res, vel erectas ac restitutas ostendebant, totidemq; ILLE mittebat mandata, & dies noctesq; perpeti solicitudine de tot Urbibus, Nationibus, Provinciis, & ut verbo dicam, omnium salute cogitabat. Habuit tamen NOSTER tantarum curarum, fortisq; ejus variæ sociam ELEONORAM, ex Illustrissimâ Holsatiæ Domo oriundam. QUAM pietas, beneficentia erga afflictos, Castitas, Patientia, & animi magnitudo supra sexum efferebant. HÆC Excelsæ mentis levamen erat, QUAM assumebat in prosperis dubiisq; : HUIC magnum illud Imperii pignus CAROLUM, nunc Regem Serenissimum commendabat. Res sanè haud despicienda est, dignaq; quæ inter felicitatis documenta recenseatur, si Conjugem ex animi sententia habeat Princeps ejusdemq; fidei ac religionis, & in Virilibus curis parem. De Imperatore Antonio Philosopho nescio quis dixit aliquando, Eum inter Optimos potuisse censeri Imperatores, nisi Faustina Uxor contigisset. Ignosce mihi DOMINA, si laudes meritaq; TUA, quæ cum Divi MARITI virtutibus conjuncta radios atq; splendorem hominum mentibus circumfundunt, adæquare inumbraticâ

bratica hâc Ingenii palæstra, dicendo audeam. Audeo enim revera : Quanquam laudem mereatur potius, & ab invidia procul sit, ea, quæ assequi non posſis, religioſo silentio venerari. Non possum tamen gestienti animo seseq; effundenti in preces ac omina, quæ pro TUA, DOMINA, salute concipio ac ingemino hîc silere : Deus TE servet, REGINA, QUÆ tantùm nobis dedisti PIGNUS, in QUO expressæ Magni CAROLI virtutes & cumulatæ; â QUO devota VOBIS & invicta Suecorum Natio, non nisi magna tantoq; fastigio digna exspectat gerenda sub ILLIUS auspiciis ductuq; atq; fortunâ : CUJUS florem ætatis omnia fausta atq; felicia, Heroicoq; animo propria facinora spondentem intuemur læti, ad omnemq; nutû obsequia nostra devovemus humillimè ac consecramus. Deus TE servet, DOMINA, eaq; in TE conferat abundè, quæ Pietas TUA, omnemq; sexum excedens Virtus meretur jamdudum. Hæc vota mea sunt, hæc ingenui pectoris suspiria, ut serò in Cœlum redeas, Regnoq; TUISq; diu intersis REGINA, mactata votis usq; ad invidiam felicibus, omnibusq; sequioris fortunæ casibus expedita. Laudes TUAS atq; elogia quæ ne millesimus quisq; assequitur, & vel eloquentissimi cujusvis conatûs superant, aliis relinquam meritò, quos melior natura & celsioris ingenii vigor ac latera ipsa pares tantæ materiæ tantisq; rebus fecerunt : Memor, Mortalem immortalia tangere nefas, læsiq; Numinis piaculum esse. Transeundum nunc mihi, quamvis invito ac reluctanti, ad ultima pietatis officia erit, exsolvenda NOSTRO PRINCIPI suprema. Nec existimet quisquam, me ambitioso imbre lachrymarum genas perfundere, tundere pectus, crinemq; tenerum vellere, Præficarum in morem, velle, cùm ridiculum propemodùm ac præposterum videatur, indicere post annum justa, lugendiq; habitum resumere ac revocare. Nemo tamen, qui non ferus ac planè ferreus sit; nulloq; tangatur doloris sensu, sine gemitu ac dolore tanti vulneris recordari potest. Principes enim sicut divino munere donantur terris, ita revocantur itidem â Summo rerum Arbitro, irritato ac infenso sceleribus hominum. Erat infinitis curis exhaustus Divinus PRINCEPS, quas gerebat intentiùs pro Exercitu, Suorumq; salute, & jam spectabat metam eamq; veluti anhelabat animo intrepido. Exurebat corpus exhaustum acuta febris jamq; intuentibus eam

 præbebat

præbebat speciem, non REGEM amplius, sed funus Regis esse. Alacer interea ILLE ac lætus, qualem plerumq; in aciem prodeuntem viderat Exercitus, jam jam equum incitatum admissurus pugnæ. Sciebat nimirum piissimus PRINCEPS malum esse militem, qui sequeretur gemens Imperatorem. Sic IPSE non reluctabatur fatis SEq; militaturum inposterum confidebat, sub Salvatoris Optimi Iesu Christi auspiciis, qui nutu suo Maria Terrasq; gubernat, Principumq; animos in manu sua habet. In Hunc igitur totâ mente defixus cùm esset, non insuper tamen Suorum salutem habebat, aut Reipublicæ abjiciebat curam. In ipso enim mortis limine constitutus, sapientissimâ animâ particeps jam divinitatis perspicacissimè providebat singula soliciteq; omnia ac prudenter constituebat, tanquàm singulari aliquo Numinis afflatu perculsus. Jacebat ILLE in lectulo, in medio belli æstu, intra acerrima certamina, inter ancipites metus, Martiumq; furorem intemperantem. Militibus tamen â Spiritu SUO pendentibus meliorem instillabat spem, fortitudinis atq; constantiæ ad omnem actum Virtutum præcepta subministrabat ac relinquebat. Cùm spatium daretur ar secessus â curis, totum SESE in preces sacrasq; meditationes effundebat, quibus reficiebat animam, & tanquàm suffusâ frigidâ recreabat, inq; istis cogitationibus, tandem cæpit deficere, ingentemq; Spiritum commendare Christo Suo, inq; manus veluti ipsius tradere. Nolo nunc refricare vulnus, gemitusq; repetere, ac lachrymas â Militibus profusas, ploratumq; & lamenta, quæ passim in castris personabant. Vigor EJUS & Vultus, dextraq; assueta triomphis, quam formidabant Hostes, osculabantur Milites, occurrebant oculis & ingerebant se ultrò ac desiderium ILLIUS accendebant ardentius. Eam tamen NOSTER, quod memorandum inprimis, spem in sepulchrum ac monumentum intulit, mansura perpetuò in fastigio Suo fundamenta Illius Reipublicæ Sueciæ, quam tot egregiis Victoriis totq; factis æternum laudandis firmaverat ac solidissimè struxerat, nisi quod tantarum rerum gestarum fructum ac emolumentum non percipere ipse potuit, sed Subditis usurpandum reliquit, æternisq; consecrandum monumentis literarum. Audivimus passim repeti ac ingeminari hanc vocem, mirifici affectus ac pietatis laudatissimæ interpretem ac indicem ingenuum, CARO-
LO

LO GUSTAVO imperante, Securi viximus, neminem timuimus. Patri Patriæ, Patri tot bonorum, sit felix ad suprema adscensus, felix cum Christo Rege Regum per secula seculorum cohabitatio. Imperium adiit Anno 1654. Bella gessit inprimis cum Bremensium Civitate, cum Polonis, Muscovitis, Cæsare ac Danis: Hoc ut felici exitu Ipse concluderet, tandem morte immaturâ præpeditus est. Regalis Domûs fastigium munivit, ductâ Illustrissimâ Conjuge Anno eodem: Mortuus est Anno 1659. Ipsis Idibus Februarii, cum annos 37. gloriosissimè explesset. Reliquit inclytæ spei, æmulumq; Paternæ Avitæq; Virtutis Pignus CAROLUM. QUEM ut intueor, viva ac spirans imago Patris CAROLI GUSTAVI obversatur oculis: In EO quantû nobis ademptum defuncto est, tantum felictû in Serenissimo REGE, FILIO speramus, si Celsissima indoles & Regius ille Spiritus maturè ad omnem Virtutis habitum feliciter componantur. Deus TE terris CAROLE, diu sospitem relinquat: sera & Nepotibus demùm Nostris nota sit illa dies, quæ TE, Regni solamen ac fulcrum, Cœlo tuo videat illatum. Abstine ab HOC, manus tuas, fortuna, & in ISTO potentiam tuam non nisi eâ parte quâ prodes, ostende. Patere illum generi humano jam diu ægro ac affecto mederi. Sidus hoc quod præcipitato in profundum ac demerso in tenebras Orbi refulsit, semper luceat. Ita vivat JUVENTUTIS PRINCEPS, ita vigeat, ita splendeat æternitate temporum, rerum fama.

DIXI.



Ardua,



Rdua, sed paucis, HEMPELI, propria laus est,
Condigno Regum condere facta stylo.
Et vel sola valet conata in tanta voluntas,
Victus dum cedit, mole premente, labor.
Ac quæ tanta adeò succedent flumina linguæ,
Cuncta ut Suecorum gesta referre queas?
Occupat orantes Aquilo, majorq; fatigat
Vim numeri, & quicquid doctus ab arte tenet.
Te tua sed pietas, HEMPELI, ducit, & ipsa
Absolvit, pretio sic quoq; magna suo.
Macte animo, primæ si sunt hæc orsa juventæ
Ecquid non credam reddere posse Virum?

Convictori amicissimo facieb.

WITTENBERGÆ
Johannes Ericus Ostermannus,
P. P.



Ad
Humanissimum Juvenem,
Dn. GUSTAVUM HENPELIUM, de
CAROLI GUSTAVI, Regis Svedorum, rebus
gestis & obitu publicè perorantem.

RES gestas Regis Suedorum tollis ad astra,
Quo vix immenso major in orbe datur.

Sar-

Sarmata testis erit nobis, Daniæq; potentes;
Sentit idem Batavus, Teutoniæq; Duces.
Totus & horrescit Moschus, non infimus hostis,
Regis ubi Tanti mentio facta fuit.
Grande decus nobis sublatum morte dolemus:
Tu loqueris dextrè maxima facta Ducis.
Vivamus, dum Jova sinit, Svedosq; colamus;
Queis populus nullus major in orbe mihi est.

Michael VVendelerus,
D. & P.P.

GUSTAVO HEMPELIO, Politissimæ indolis JUVENI, cùm Divis Manibus CAROLI GUSTAVI, Serenissimi SVECOR. GOTH. VANDELORQ; &c. REGIS.

Supremam pietatem devotissimè exsolveret.

O Sacro sanctum Principis optimi
Nomen, quod omni ter-venerabile
Ævo, quis unquam competente
Facta metro, tua prædicabit?

GUSTAVIANOS testor humillimè
Manes, & ausûs, ô CAROLE, entheos
Tuos, & omnes Christiani
Ordinis egregios POTENTES.
Si plura REGI non potes optimo
Litare, quantum vel pietas jubet
Vel æquitas deposcit abs te,
HEMPEL, agas! celebratur ausus.

Georg. Casp. Kirchmaier,
LL. AA. M. atq; Eloqv. Prof.
Publ.

Hunc non immeritò toto celebramus in orbe,
Cujus non falsùm gloria nomen habet:
Cum Tibi GUSTAVE non fiat? Sed quis in astra
Te extollet, nemo? sat celebrare potest
Ore Tuo Te, si fiat laudum ipse tuarum
Præco: GUSTAVI nos memores erimus.
Non tantùm memor est ejus, celebrare politus
HEMPELIUS tentat, dùm enumerare studet

Ejus